



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLIV. Christus modum orandi Discipulos docet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

hæredes Christi Gloriosissimæ Matri optima Pars attributa sit, ita ut portio Cælestium Bonorum & Gaudiorum, quæ illi obtigit, plurimum excedat omnium aliorum SS. Angelorum, & hominum, in unum etiam collatas portiones; nam tali modo etiam omnes superavit Gratiâ. Unde de illa dicitur Proverb. 31. v. 29. *Multæ filia congregaverunt divitias, Tu supergressa es universas.* Optimam ergo Partem elegit MARIA, quia semper optimam elegit Operationem meritoriam, & eandem optimo modo operata est, & ideo ad summam etiam Sanctitatem, & plenitudinem Gratiæ, & inde ad summam Gloriam in Cælis pervenit, quæ nunquam auferetur ab ea. Unde licet Maria Magdalena forsitan timuerit, ne juberetur à Christo surgere, & juvare Sororem Martham, MARIA tamen Gloriosa penitus secura, & certa Partis suæ sibi nunquam auferendæ, eadem per totam æternitatem beatissime fruitur. Talia Gaudia, procul missis vilibus terræ solatijs, & talem Partem nunquam tollendam tibi elige, & eandem simili modo operandi, semper perfectiore, promerere, æmulans Charismata meliora. Itaque imitare electionem prudentissimam, & gratulare MARIE optimam Partem, nunquam auferendam.

MEDITATIO CCCLIV.

Christus modum orandi Discipulos

docet. Luc. II. v. I.

PUNCTUM I. *Et factum est: cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex Discipulis ejus ad eum: Domine,*

Domine, doce nos orare, sicut docuit & Joannes Discipulos suos. Luc. II. v. 1. Sine dubio externâ Reverentiâ, & Devotione Christus desiderium iniecit rectè orandi; & quia hoc speciale Bonum est, superans vires hominis naturales; ideo meritò à Christo Discipulus quidam id rogavit. Unde patet, quantùm Reverentia, & Devotio externa orantis, serviat ad Devotionem in alijs excitandam; & unde hoc ipsum Donum petendum sit: præterea inde elucet, quàm diligenter ipsi Orationi præmittenda sit instructio ad bene orandum, quæ fit per ipsam præparationem ad orandum, hortante Ecclesiastico c. 18. v. 23. *Ante Orationem præpara Animam tuam: & noli esse, quasi homo, qui tentat DEVM.*

PUNCT. II. *Et ait illis: Cùm oratis, dicite: Pater, Sanctificetur Nomen tuum.* & c. v. 2. Pleniùs hanc orandi formulam refert Matthæus c. 6. v. 9. ubi distinctè exprimit Petitionem tertiam, & septimam, à S. Luca in prima, & sexta inclusam, quam formulam Christus vel bis tradidit, vel S. Matthæus eam per anticipationem, loco tamen opportuno, retulit. Hinc ergo considera puncta, quæ à DEO petenda sunt, & in quibus omnia Bona Spiritualia & corporalia, æterna, ac ac temporalia includuntur.

PUNCT. III. Disce præterea ex Parabola à v. 5. relatâ, modum in Oratione tenendum. 1. ut cum Confidentia. 2. cum Perseverantia. 3. cum Efficacia DEVS oreter. Primum fiet consideratione, quòd DEVS nos amet tanquam Amicus, imò tanquam Pater nostrî amantissimus. Secundum fiet consideratione, quòd, sicut importunitas perseverantiæ per molestiam generatam extorquet beneficium petitum ab homine,

fic honestas Perseverantiæ evincat per complacenciam Beneficium petatum à DEO. Tertium fiet observatâ hac triplici Orationis instantiâ. Luc. II. v. 9. *Et ego dico vobis: Petite & dabitur vobis: Querite, & inveniatis: Pulsate, & aperietur vobis.* Primum simplicitatis rei desideratæ propositionem, Secundum attentionem, & intensiorem animi, Tertium Operum Meritoriorum additionem denotat. Petitur voce, quaritur mente, pulsatur manu, & opere. Parabola quâ hæc omnia indicantur, ita habet: *Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum, & ille de intus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi. Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens, eoque amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi, quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: Querite, & inveniatis: Pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui querit, invenit: & pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem; nunquid lapidem dabit illi? aut piscem; nunquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum; nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos, cum*

fitis mali, nōstis bona dare filijs vestris; quanto magis Pater vester de Cælo, dabit Spiritum

Bonum petentibus se?

Luc. II. à v. 9.



MEDI